

3/93

IDIBVS AVGVSTIS

MCMXCIII

RMOR VARIVS
RMOR VARIVS
RMOR VARIVS
RMOR VARIVS

RMOR VARIVS

RMOR VARIVS
RMOR VARIVS
RMOR VARIVS

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADIS
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 15.--
In Germania	DM 24.--
In Austria	öS 170.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 22.--
In terris trans	
maria sitis	US 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

C. Meier-Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 15.--
Deutschland	DM 24.--
Oesterreich	öS 170.--
übriges Europa	Fr. 22.--
Uebersee	US 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

C. Meier-Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:

Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!



Forsitan feriis sagittis illius dei tacti sitis, quis a Graecis Eros, a Romanis autem Amor appellatur et cuius parvam statuam in nostro imagine videtis. Hesiodus poeta Graecus in carmine suo titulo 'Theogonia' illum deum in principio mundi e chao ortum esse et potentiam maximam in mortales et immortales habere narrat. Alii dicunt illum filium Veneris deae esse et puerum alis, arcu sagittisque armatum. Ecce parva narratiuncula, quam in carminibus, quae 'Anacreonteia' dicuntur, inveni:

Aliquando Amor apem in rosis dormientem non

animadverterat et ab ea morsus est. Digito puncto lamentans et clamans ad matrem pulchram, Venerem deam, cucurrit: "Perii, mater", ait, "perii et moriturus sum! Parva serpentes, quam agricolae apem appellant, me momordit!" Tum mater Venus: "Si aculeus apis tantopere dolet, quantos dolores putas illis afferi, quorum cordia tu sagittis tuis vulneras?"

Valete!


Daniel Weissmann

**De Rumoris Varii sodalium sessiuncula hornotina
pauca narrantur**

Sessiunculae hornotinae indictus erat dies Saturni, mensis Iunii undevicesimus dies et hora p.m. secunda loco consue-
to, id est in tabulato tertio domus quadragesimae et
tertia viae, quae nominatur 'Jungholz'.

Ad tempus advenerant Udalricus Aeschlimann, Daniel Weiss-
mann et Martinus Meier. At ego cum oblitus iam essem, qua
in regione via 'Jungholz' esset sita, plus media hora
automobili curru meo circum totam regionem vectus eram
hominesque plures transeuntes interrogaveram, nonne sci-
rent, ubi esset sita via 'Jungholz'. Nescio quo modo omnes,
quos interrogabam, mihi respondere nequiverunt, cum essent
viri Hispanici vel Italiani vel etiam ex alia natione
oriundi. Qua de causa vix intellegebant, quid sibi vellem.
Tandem aliquando virum vidi et feminam, qui fortasse erant
coniuges, et homines urbis nostrae; etenim perbene et
continuo intellexerunt, quid interrogassem, et promiserunt
se libenter me ducturos ad viam 'Jungholz', si sibi mecum
vehi liceret. Oravi, ut in automobili curru meo conside-
rent. Ille vir vere comis mihi explicavit se suamque
mulierem liberos esse ad ambulandum, et domina eius adnuit.
Quorum auxilio paulo post ad viam 'Jungholz' advenimus
ibique domum mihi notam conspexi. E curru exeuntibus magnas
gratias egi pro auxilio et mihi 'vale' dicentibus ego etiam
'valete' dixi.

In tabulatio tertio domus porta erat clausa, at bene
accidit, ut Udalricus et Daniel advenirent portamque clave
aperirent. Cum in conclave numero XXXI intrassem, illi, qui
aderant, a me salutati comiter resalutaverunt subridentes,
cum audirent me tam diu viam 'Jungholz' quaesivisse.

Mirabar dolens tam paucos sodales adesse et sodales mascu-
lini tantum generis.

Tum Udalricus mihi dixit de re finantiaria iam esse
tractatum, et audivi pretia plura esse tertia parte aucta
et de numero aucto eorum, qui nomina subscripsissent, ut
libellus Rumor Varius sibi mitteretur, Udalricus nobis
communicavit. Postea amice locutus est nobiscum de sodali

nostro Amico dolentibus, quod non adesset. Udalricus epis-
tulam Amici nobis alta voce legit, quam ab Amico acceperat,
et litteras quoque Udalrici, quibus Amico responderat.
Lingua, qua Amicus usus erat, nobis in parte visa est satis
Berolinica, cum ab idiomate Helvetico nostro distincta
esset.

Sub quartam circiter horam Udalricus nuntiavit tempus
advenisse et horam opportunam, ut in cauponam nomine 'Waag'
transiremus, ubi sessiuncula nostra Bacchi dei dono solem-
niter esset celebranda. Cui verbo nos omnes quattuor, qui
adessemus, laete adnuimus, cum caelum calidum esset. Mihi
non nego Bacchi dei donum saepe esse exoptatum, sed
exoptatiores semper esse virgines pulchras puellasque. At
cum ab hornotina sessiuncula omnes virgines abessent,
tristitia quaedam me oppressit, at cum ceterorum sodalium
nemo ne mentionem quidem fecit de virginum absentia et
simulaverunt nihil ad se attinere, utrum adessent a abes-
sent, me quoque aequitate animorum tranquillaverunt.

Paulo post in cauponam nomine 'Waag' transiimus, et cum
foris videremus mensas tres plane solitarias, ad unam
mensam adsedimus. Puer cauponius advenit et Udalricus ei
mandavit, ut lagoenam quadrantem mediam continentem appor-
taret, at cum lagoenam videret minorem esse quam putavis-
set, non cunctans lagoenam secundam cauponio puero manda-
vit. Martinus Meier unus vino abstinuit et sucum mali
mandari iussit. Praeterea Martinus et Daniel nuces consump-
serunt, Udalricus panecillum pauca carne bovina contectum
edit et ego omnem merendam negavi memor obesitati meae
minuendae mihi esse curandum.

Secunda lagoena exhausta et sole nubibus operto vel paula-
tim occidente Udalricus puerum cauponium advocavit, ut
pecuniam solveret pro omnibus, quae consumpseramus. Tristi-
tia mea virginum absentia orta auxilio vini evanuerat
omnesque hilares caupona exiimus vespere appropinquante
domum petentes.

Emanuel Bernard



Carmina Spirituality Afrorum (Negro Spirituals)

Foras pulsari audio
(Somebody's knocking at your door)




Fo- ras pul - sa- ri au- di - o —



fo- ras pul- sa - ri au - di - o —



o pec - ca - tor, i a - per- tu - rus,



fo - ras pul- sa- ri au - di - o —



1. Pul- sat ut Ie - sus. Fo- ras pul - sa - ri



au - di - o — Pul - sat ut Ie - sus.



Fo - ras pul- sa - ri au- di - o —



O pec- ca - tor, i a - per - tu - rus,



fo - ras pul - sa - ri au - di - o —

2.
Eum audisne?
- Foras pulsari audio...

3.
Iesu responde!
- Foras pulsari audio...

4.
Te vocat Iesus!
- Foras pulsari audio...

5.
Ei confide!
- Foras pulsari audio...

Versio Latina: Martin Meier



Aenigma

Opuscula a discipulis pagi Friburgensis composita

Ecce nonnulla scripta nobis a discipulis VIII^{ae} classis scholae 'Brunnenhof' urbis nomine 'Düdingen' missa!

QVO PRAEMIUM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA IDIBVS SEPTEMBRIBUS EST! SOLVTIONES IN UNO LIBELLORUM PROXIMORUM DEMONSTRABIMVS.

PRAEMIA SVNT: primum praemium LIBER
secundum et tertium praemium LIBELLVS

1	2	3	4	5	6
2					
3					
4					
5					
6					

1. Nomen feminarum
2. Lumen nocturnum caeli (Dat.)
3. igni afficiam
4. Urbs in Phoenicia sita, aetate nostra diuturnis pugnis nota (Dat.)
5. Una e Musis (Gen.)
6. Lacūs non liquidi, squalidi (Adj. Nom. pl.)

Daniel Weissmann



Introductio

In schola magister nobis permisit fabulas ipse electas scribere. Qua de causa diu deliberavimus et tandem tres fabulas invenimus. Secundo anno Latino sumus; itaque vocabularium nostrum modestum est. Tamen gaudium magnum erat. Praebete nunc aures vestras (aut potius oculos vestros) et este intenti!

Carmina Maia (Maisingen)

Kalendis Maiis in pago Friburgo mos est cantare. Eo die liberi non in ludo sunt. Liberi ostiatim migrant, unusquisque solus aut in globis. Pueri puellaeque a quinto usque ad decimum annum cantant et pueri puellaeque ab undecimo usque ad quindecimum annum instrumentis musicis ludunt aut ludentes cantant. Incolae carmen audiunt (saepe post portam clausam), carmine finito gratias agunt discipulis laudando et parvum praemium dant (viginti centesimas vel duos francos Helveticos).

Hoc anno sole occidente ab octoginta usque ad centum viginti francos collegimus (unusquisque). Temporibus 'antiquis' liberi hac pecunia donum emerunt pro 'die matris'. Hodie pars tantum pecuniae dono matris est, altera pars (maior!) liberis restat usui libero. Speramus etiam liberos nostros hunc morem culturos esse!

Andrea Stritt, Catharina Häcki, Johannina Angelus

'Helvologium' (swatch)

Anno MCMLXXX p. Chr. n. mercatus horologiorum Helveticus minimus erat. Cara horologia nomine claro rarissime vendebantur, lucrum minimum erat. Iaponienses fora Europae horologiis minimo pretio inundaverunt.

Anno MCMLXXXIII^o p. Chr. n. vir clarus statuit nova horologia in Helvetia facere minimo pretio et maximo usu tecnico. Horologium Helveticum melius quam optimum est. Qui 'porticus sanctas' oppidi nomine 'Grenchen' aliquando vidit, scit homines ibi bona opera facere. Operariis quinque minutae necessariae sunt, ut unum horologium conficiant. Vitrum horologii frangi non potest et usque ad triginta passus sub superficie aquis impermeabile est. Omnia horologia Helvetica semper maxima constantia erant, sunt et erunt. Non sine causa in omni exemplo 'Helvetia factum' scriptum est.

Initio 'helvologia' simplicia et uno colore erant. Sed populo Helvetico et aliis populis valde placebant. Paulo post horologia coloribus diversis ab artificibus inventa sunt velut a Kiki Picasso, filio Pauli (Pablo) Picasso. Maxima pretia soluta sunt. Hodie homines, quibus omnia exemplaria sunt, thesaurum possident.

Caspar Luginbühl et Nikolaus Miszak

Lunaris appulsus (Mondlandung)

Meministisne diem a.d. XIII Kalendas Augustas MCMLXIX? Eo die unum ex maximis somniis hominum ad effectum perductum est. A. d. XIII Kalendas Augustas MCMLXIX tres astronautae nominibus Neil A. Armstrong, Edwin E. Aldrin, Mike Collins in lunam volabant ibique laborabant.

Ea victoria generis humani fieri poterat, quia homines multa instrumenta nova invenerant, velut vehiculum lunare, pontem volantem inter lunam et 'matrem Apollinis', ubi astronauta alteros exspectabat, et vehiculum flammis pulsum, quo iter inter lunam et terram fecerant.

Hodie quoque in spatio caelesti homines varia experimenta faciunt, non solum viri terrae continentis Americanae, sed etiam vir Helveticus nomine Claudius Nicolier.

Nonne haec causa gaudii et liberae contumaciae est?

Lucas Perez



LIBERTAS

(Interpretatio carminis, cui nomen 'LIBERTE',
a Paulo Eluard (1895–1952) compositi)
(Metrum Sapphicum)

In libellis discipuli notatis,
in scholae sellis fruticumque ramis,
in nivis flocco tenuique arena
scriberis a me;

In volutis iam foliis librorum,
in libri chartis viduis colore,
sanguine aut saxo, cinere aut papyro
scriberis a me;

In micanti auro fragilis figurae,
in malis armis peditumque parmis,
in potestatum nitidis coronis
scriberis a me;

In plagis vastis nemorumque truncis,
in genestis et volucrum cubili,
in sono longe puerilis aevi
scriberis a me;

In nigris noctium tenebris vagarum,
in meorum offa nivea dierum
atque desponsis spatiis per annum
scriberis a me;

In morarum caeruleo mearum,
in palude astro similis cadenti,
in lacu lunae simili micanti
scriberis a me;

In locis planis et axis orbe,
in glabris alis avium et volatu
atque in umbrarum vario temore
scriberis a me;

In levi aurorae sonitu vibrantis,
in maris lymphis ratiisque velis,
in iugis clivisque furore captis
scriberis a me;

In viatricum superi vapore,
in procellarum madido tepore,
in profuso imbri pluviaeque leni
scriberis a me;

In figuris luce fluente onustis,
in venustis ordinibus colorum,
in mera rerum specie ratarum
scriberis a me;

In levatis tramitibus sopore,
in soluta iam serie viarum,
in foro immensum simulante caelum
scriberis a me;

In camino, cui est rubicunda flamma,
in camino, qui niger est et algens,
in meis tectis laribusque pressis
scriberis a me;

In mihi caris speculo et grabato,
quae videbantur duplicata poma,
in toro testae simili vacanti
scriberis a me;

In meo molli et cupido catello
auribus rectis domino paratis,
in male illius pedibus retunsis
scriberis a me;

In meorum vestibulo penatum,
in mei rebus laris usitatis,
in sacrata unda rutili camini
scriberis a me;

In lacertorum manuumque carne,
in sinu matris comitumque fronte,
in diu palmis patulis miselli
scriberis a me;

In vitris iunctae stupidis fenestrae,
in Boni promptis labiis ad haustus
amplius vita tacite fluente
scriberis a me;

In meis cunctis domibus relectis,
in ruinosis statuis doloris,
in mei muris senii vetustis
scriberis a me;

In remoto aevo nihil adpetente,
in solo nudo sine amoris igne,
in gravis leti gradibus sinistris
scriberis a me;

In tororum vi mihi roborata,
in periclorum vapidio timore,
in spei numquam memoris sepulcro
scriberis a me;

Unici verbi studio citatus
temporis calles renovo fluentis,
ut tui natus fierem peritus
teque vocarem:

LIBERTAS

Florindo Di Monaco



**Exempla veterum temporum, quae in auribus
adhuc sonant tenuissime**

De monasterio quodam

Tunc media aetate quidam novitiorum monasterii vocationem propriam arcessitus ad vitam communem cuidam veterum gravi-ori ostendit: Senex monachus dignissimo modo rem accepit responditque: Si pace in monachis vitam degere velis, tria te servare oportet (sequentia sensu verborum illius temporis):

I. Esse bene cum patre priore.

II. Facere res taliter qualiter.

III. Sinere mundum currere quo modo currat.

Fac hoc et vitam beatam inter nos vives.

De priore superbo

Quondam prior quidam monasterii, saevus verbis, asper modis, immisericors subditis monachos suos in dies exire videbat, comminiscebatur. Paucis diebus transitis sive superatis ille prior cum humili rusticoque ac simplici monacho incolebat, alter prior alter simplex. Consuetudines agendi nullo pacto leniebantur, durus, dirus, dominator. Simplex vir voce humili tenuique priori venia data prorsus dicere ausus est: "Pater mi prior! Honorem tuum adimam!" Cui prior: "Tu quoque monasterii minor? Stulta ne dicas!" Placida demissaque voce non erubescens respondit: "Cras exeam! Quum abeam, cuius prior eris? Honorem tuum cras delebo, omnium minor."

De confessore...

Quidam vir poenitens ad confessarium se absolvendi gratia pervenit. Dum misera sua dicit, horologium pulchrum et argenteum confessarii vidit statimque rapuit, nulla violentia, qua de causa confessarius nihil animadvertit. Latro morsu conscientiae vexatus ilico gratiam recipere nec ullum peccatum tacere voluit. Confessario dixit: "Hoc horologium nuper rapui, tibi do. Ecce!" Confessarius adiunxit: "Non mihi, eius ero." Poenitens: "Tibi do, nam nolo amplius me peccavisse." Similia peragebantur, cum poenitens ait: "Si erus obiecti hoc recipere nolit, quid faciam?" Confessarius: "Tuum est." Cui respondit: "Gratias ago." (Umbroso loco horologium suum esse non viderat).

Eustasio Sánchez F. - Villaran



SOLUTIONES

Ecce solutio parvi aenigmatis libelli 2/93

¹ A	² R	³ D	⁴ O	⁵ R
² R	A	U	C	I
³ D	U	R	U	S
⁴ O	C	U	L	I
⁵ R	I	S	I	T

1. aestus
2. voce defatigata et vix sonante (Gen. sg.)
3. asper vel severus
4. poetae ea nonnumquam 'lumina' vocant (Nom. pl.)
5. signa hilaritatis vel laetitiae edidit

Daniel Weissmann



De Bello inter Civitates Gesto Americano

(Relationis pars altera)


Anno 1856° in Cansia (Kansas) caedes factae sunt atrocissimae, quod coloni et septentrionales et meridiani illam novam civitatem secundum suum ius regere volebant. Non erat bellum 'regulare', sed nex et caedes sine ulla misericordia: ne liberis mulieribusve parcebatur! Imprimis vir quidam summa crudelitate, nomine Ioannes (John) Brown, cum grege suo omnes necabat, quos meridiei favere putabat.

Anno 1859° idem Ioannes Brown unionis armamentarium, quod situm erat prope vicum Harpers Ferry in Virginia, aggressus


est et pugnam post brevem expugnavit. Arma ibi deposita raptare et servis nigris distribuere voluit, ut seditionem in dominos facerent et ita libertatem adipiscerentur. Milites autem Virginienses Roberto quodam Eduardo Lee duce seditiosos superaverunt. Ioannes Brown die 2° mensis Decembris anno 1859° suspensus est.

Anno autem 1860° tota in unione novus unionis praeses suffragis elegendus erat.

Candidati huius muneris summi adipiscendi erant tres: Douglas, qui erat membrum factionis democraticae septentrionalis, Ioannes (John) Breckinridge, democraticus meridiana, Abraham Lincoln, cui factio republicanica favebat. Lincoln, e civitate Illinoesia (Illinois) oriundus, ut servitutem omnino recusabat, ita tamen volebat meridianis servos vi eripere. Nihil ei tantopere cordi erat quam unionis integritas. Semper semperque civitatibus singulis secedendi ius nullo modo esse affirmabat, quamvis iuris



Jefferson Davis



Abraham Lincoln

consulti haesitarent, utrum ius secedendi civitati unicuique esset an non. In meridianis vero civitatibus nullum dubium erat, quin ius unionis relinquendae civitatibus esset. Liberae se congregaverant, liberis unionis vincula rumpere eis licebat.

Qua de causa Lincoln hominibus meridianis odio erat summo et, cum tamen praeses unionis electus esset, senatus Carolinae Meridianae die 20° mensis Decembris anno 1860° sollemniter decrevit foedus inter Unionem Civitatum Unitarum Americae atque Carolinam Meridianam esse dissolutum!

Nova natio nascitur

Gaudium tota in Carolina Meridiana inque reliquis civitatibus meridianis verbis exprimi vix potest: Homines in viis saltaverunt et cantaverunt, alii alios, eosdemque ignotos, amplecti sunt, unionis vexilla ubique detrahebatur. Anno 1861° ineunte aliae civitates Carolinam Meridianam secutae sunt: Mississippia, Alabama, Georgia, Florida, Texia, Louisiana unione relicta novas Civitates Confoederatas Americae condiderunt, quarum urbs capitalis prima erat Mons Gunderici (Montgomery), Alabamae caput. Praeses confoederationis electus est Jefferson Davis, vir nobilis Mississippensis, qui multis annis ante una cum Abrahama Lincoln contra Indianos Falcone Nigro (Black Hawk) duce seditionem facientes dimicaverat.

Nova natio ex improvise multa creare cogebatur nova et adhuc inusitata velut naves longas, fabricas industriales, arma gravia etc. Homines autem paratissimi erant ad omnia sua immolanda 'rei bonae', qualem appellabant confoederationem.

Mensibus Aprili et Maio etiam Virginia, Arcansia (Arkansas), Tennesia (Tennessee) Carolinaque Septentrionalis ab unione secesserunt et confoederatae factae sunt. Urbs capitalis nova et definitiva facta est Ricmondia (Richmond), caput Virginiae, quae ducenta tantum circiter chiliometra distat a Vasintonia, unionis capite.

Meridiani iis diebus sperabant se sine bello unionem relinquere posse et rem publicam novam condere et secundum suas ipsorum leges et mores vivere. Pristinus enim unionis praeses, Iacobus (James) Buchanan, qui munere fungebatur

usque ad diem quartum mensis Martii, secessionem quidem verbis vituperavit, sed nihil contra eam molitus est.

Nova res publica, i.e. Civitates Confoederatae Americae, bellum, quantum fieri poterat, vitare voluit. Homines meridiani, cum nihil fere eis commune esset cum incolis septentrionalium civitatum, putabant secessionis cupidos esse non modo semetipsos, sed septentrionales etiam. Ignorabant enim odium et cupidinem cultus meridiani destruendi, quo regebantur septentrionalium duces potentissimi. Ignorabant etiam Abrahamae Lincoln voluntatem unionis retinendae et servandae. Qui potius 'aviam vendidisset' quam unionis separationem tolerasset.

Jefferson Davis, praeses Civitatum Confoederatarum, legatos misit Vasintoniam, qui de pace servanda atque de secessione pacifica instituenda disputarent. Alios legatos Londinium et Lutetiam Parisiorum misit, ut confoederatio a rebus publicis tunc temporis potentissimis, i.e. a Britannia et a Francogallia, agnosceretur. Utraque vero legatio successu non fruebatur: Abraham Lincoln secessionem tolerare nullo modo voluit, immo legatis minatus est, ut armis rebellionem, quam secessionem appellavit, supprimeret. Angli et Francogalli autem ut meridiei contra septentrionem favebant, ita tamen neque confoederationem agnoscendo neque armorum vi auxilii ferendo parati erant. Bene enim sciebant meridiem multo invalidiorem esse quam septentrionem:

In omnibus civitatibus meridianis non erant magnae urbes nisi sola Nova Aurelia. Metalla, fabricae industriales, armificinae, ferriviae pleraque erant in civitatibus septentrionalibus. Incolarum (alborum) Civitatum Confoederatarum non plures erant quam quinque circiter milliones, Unitarum autem viginti duo circiter milliones. Classis maritima septentrionalibus erat, meridianis autem non erat. Attamen meridianis nullum dubium erat, quin victores bello decederent. Primum putabant 'Yancos' pugnare non posse, unum enim hominem meridianum quinque 'Yancis' parem esse, deinde in 'regem linum xylinum' credebant arbitrantes res publicas Europaeas subito sibi auxilio venturas esse, si septentrionales impedituri fuissent, ne linum xylinum in Europam exportarent.

Re vera Civitates Unitae non iam exstabant more pristino, sed divisae erant in partes duas, in nationes etiam duas.

Qua de causa recte non de bello civili loquendum est, sed de bello inter civitates gesto, quo Civitates Confoederatae pro libertate, Unitae autem pro potestate agenda dimicaverunt. Septentrionales autem unionem dissolvi non posse affirmantes meridianos 'rebelles' vocabant.

Bellum exardescit: Castra Sumterea

Secundum totam Confoederationis oram maritimam multa sita erant castra militaria, quae ad portus tutandos exstructa erant. His in castris milites erant, qui, cum civitates meridianae unione secessissent, aut ipsi exercitu unionis relicto meridianis copiis se adiunxerunt aut castris abire et in septentrionem fugere coacti sunt. Castra vero Sumterea in portu Carolopolitano (Charleston) Carolinae Meridianae sita resistere non iam desinebant. Qua de causa die 12^o mensis Aprilis anno 1861^o hora quinta matutina Petrus Gustavus Beauregard generalis meridianus castra Sumterea cannonibus aggredi milites suos iussit. Quae castra postquam duos per dies oppugnata sunt, die 14^o mensis Aprilis copiis meridianis sunt dedita. Unionis vexillum detractum, confoederationis autem ventis datum est. Carolopolitani et cum eis cofoederati omnes fere gaudio immenso exarserunt spe capti se mox liberos fore.


Tali gaudio non captus est officarius ille, qui biennio ante seditionem Ioannis Brown suppresserat. Robertus Eduardus Lee, interea generalis factus, vir nobilis Virginien-sis, unionem magis amabat quam ut secessioni consentiret. Praeterea servos suos cunctos manu misit. Cum autem Abraham Lincoln ab eo peteret, ut summus omnium septentrionalium copiarum praefectus fieret, recusavit verbis his: "Domine praeses maxime honorabilis! Neque secessionem civitatum meridianarum neque servitutem laudare possum. Attamen gladio contra patriam meam propriam, contra Virginiam meosque fratres propinquosque pugnare nec possum nec volo. Quapropter arma mea deponam neque unquam excipiam nisi ad patriam meam defendendam. Cura, ut valeas! Robertus E. Lee, generalis."

Wilfridus Scott, tunc temporis praefectus unionis militum, sed iam aetate provectus, his verbis lectis murmurasse fertur: "Vae nobis! Ille Lee magis valet quam quinquaginta


milia militum!" Anni proximi Scott generalem recte iudicasse demonstraverunt.

Lincoln vero vulpe callidior cladem Sumteream iam diu exspectaverat: Nunc causam habuit milites in meridiem mittendi. Tota in unione clamabatur et ululabatur: "Rebelles vexillum nostrum fraudaverunt! Ad arma! Patruus Abraham vos vocat!" Undique milites voluntarii confluerunt, qui rebellionem, quam dicebant, sedarent et servis miseris libertatem redderent.

Non minor autem erat ardor pugnandi hominum meridianorum, qui mores maiorum atque modum vivendi proprium defendere studerent contra invasores audaces Yancos. Etsi numero et armis inferiores erant, tamen sperabant victoria celeri se pacem adipisci. Officiarii ceterum optimi meridiani erant, praeter Robertum Eduardum Lee etiam Thomas Jackson, Sidney Albertus Johnston, Petrus Gustavus Beauregard, Iacobus (James) Longstreet, J.E.B. Stuart eques aliique permulti. Generales contra septentrionales haud ita periti erant bellandi.



Robertus E. Lee



Thomas Jackson

Manassia (Manassas): Unio percutitur

Wilfridus Scott praesidem administrosque eius monuit, ne nimis rapide contra 'rebelles' agerent. Meridianos esse suffocandos dixit simili modo, quo serpentes gigantei suffocarent hostias. Oram scilicet maritimam meridianam esse secludendam ita, ut vix quicquam posset inferri et auferri. Sic 'rebelles' omnium rerum expertes coactum iri ad bellum componendum. At generales omnes, administri neque non plerique diurnarii Wilfridum Scott deridentes et garrulum senilem vocantes bellum celere et victoriam citam postulaverunt ita, ut Abraham Lincoln praeses Mc Dowell generali imperaret, ut quam celerrime cum exercitu suo in meridiem progrediretur et hostes devinceret. Qui necessitates militares melius providens quam praeses, qui numquam exercitum quempiam duxerat, primum dubitavit, sed deinde ab actis diurnis ignavus iudicatus milites in hostes duxit. Multi homines politici, diurnarii, mulieres, immo liberi milites sunt comitati, quam si theatrum spectatum irent. Imaginari non poterant milites suos vinci posse. Quisquis potuit, victoriam exspectatam ipsius oculis videre voluit. Sed etiam milites meridiani - vestitibus militaribus canis induti, dum vestes militares caeruleos gerunt septentrionales - non pigri erant. Generale Beauregard, victore ergo Sumtere, duce itineribus celerrimis in Manassiam progressi sunt, qui vicus Virginiensis ad ripam fluvii Bull Run situs non longe distat a Vasintonia. Die 21^o mensis Iulii anno 1861^o pugna exarsit. Primum septentrionales meridianos fugare videbantur: Iam cani se recipiunt, iam vexillum confoederatum ne cadat timendum est, tunc Thomas Jackson generalis cum viris suis Virginiensibus montaneis recedere invitus sicut murus lapideus stat. Quod intuens Barnard(us) Bee, generalis quidam Carolinensis Septentrionalis, militibus "Ecce, Jackson", exclamat, "sicut murus lapideus! Congregamini post Virginienses!" Novo impetu meridiani in septentrionales irruunt et acies hostiles perfringunt. Hostes caerulei mox leporibus similes et armis abiectis domum recurrunt. Maiore autem pavore capiuntur ei, qui milites comitati sunt. Victoria meridiana est. Quo die Thomas Jackson ab omnibus 'Stonewall', i.e. murus lapideus, vocabatur. Gaudium meridianorum ingens erat, cum

putarent mox pacem fore. Gaudium vero ingentius esse potuisset, si milites cani desperatione hostium utentes statim Vasintoniam aggressi essent et urbem capitalem cepissent. Pavor enim septentrionalium tantus erat, ut ne somnio quidem cogitarent, quo modo Vasintoniam tutarentur. Sine auxilio caput septentrionale confoederatis patebat, at generalis Beauregard urbem optime munitam esse ratus milites Potomacum fluvium transire vetuit. Si transiissent, certe Vasintonia capta esset. Sine dubio sic bellum compositum esset et Civitates Confoederatae Americae essent agnitae.


Sors autem aliter decreverat: Homines in utraque Potomaci fluvii ripa habitantes animadverterunt bellum longum fore. Quingenti milites in pugna Manassiensis vel occisi vel comprehensi sunt. Qui numerus tunc temporis omnibus horribilissimus videbatur, sed mox numeri mortuorum, vulneratorum captivorumque multo ingentiores fiebant!

Anno 1861^o praeter nonnulla proelia memoria vix digna nil grave actum est. Pars utraque novos milites conscripsit et excoluit, arma fecit, auxilium ab aliis rebus publicis petivit.

Wilfridi Scott consilium septentrionales tandem secuti sunt: Multis navibus longis oram maritimam meridianam custodire incohabant, ut in dies difficiliter fieret navibus onerariis aliquid vel importare vel exportare. Meridiani quidem etiam naves bellicas construxerunt, sed, cum neque experientiam neque fabricas industriales navium aedificandarum haberent, naves eorum multo pauciores erant quam naves hostium.

(Relationis pars tertia in proximo libello sequetur)

Martinus Meier



SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)

SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.

(Ich abonniere RVMOR VARIVS für
mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

Hic solutionem inscribe et chartam mitte!

1	2	3	4	5	6

Nomen emitentis et inscriptio cursualis:

AZB

8050 Zürich

3/93

IDIBVS AVGVSTIS
MCMXCIII



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
8050 Zürich

TOMVS 16

FASC. 99